

Joh. Finnæus.
De speculo regali.
Havn. 1766.

DISSERTATIONEM
HISTORICO-LITTERARIAM
DE

SPECULO REGALI

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT

JOHANNES FINNÆUS

PARTES DEFENDENTIS OBIBIT
OPTIMÆ SPEI ET INDOLIS ADOLESCENS

HILARIUS SALHOLT

IN AUDITORIO



DIE 17 MAJI MDCCLXVI. Kor: 10.

Typis L. N. SVARII.

IMPRIMATUR

C. HORREBOW.

Excellentiſſimo & Illuſtriſſimo Heroi

DOMINO

OTTONI TOTT,

Eqviti Ordinis Elephantini,

S. R. M. in Conſilio Sanctiori Conſiliario intimo,
Supremo Cancellariæ Danicæ Secretario,
Generali Eccleſiarum per utrumque
Regnum Inſpectori,

Collegii de curſu Evangelii promovendo & Societatis
Regiæ ſcientiarum Præſidi,
Univerſitatis Regiæ Havnienſis Patrono,
Meoqve
Mæcenati indulgentiſſimo.

TIBI Univerſitatis Patrono, meoqve Mæcenati indulgentiſſimo, reddenda erat ratio meorum ſtudiorum, qvibus favoris TUI aura benigniſſime

aſpi-

aſpiravit. Permitte igitur gratioſus, ut EXCELLENTISSIMO TUO NOMINE inſigniatur qvaliscunqve hiſtoria libri qvi T U I S auſpiciis promulgandus erat. Hoc potiſſimum in votis habet

EXCELLENTISSIMI TUI NOMINIS

ſubjectiſſimus ſervus,
JOHANNES FINNÆUS

§. 1.

Si qvi unqvam fætus ingenii humani æternitatem merea ntur, erunt certe illi, qvi antiqvitate venerandi, materia utiles, scopo sublimes, exsecutione perfectionem attigerunt. Horum autem cognitio, tanto pluris nostrum intererit, qvanto propius ad nos pertinent, siqvidem a Majoribus hæreditatis instar nobis relictæ (1), virtutem simul eorum & cognitionem opinione majorem ibi contemplari qveamus; si documentum sit qvod Septentrionis laudes veras (2) confirmet, & nimias excuset; qvod historiolis & sententiis aculeatis interspersum, characteres, mores, & Ceremonias majorum, jucunda rerum varietate temperet; qvod nos in adyta Regum ante sexcentos annos degentium introducat, qvod vivendi genera a Rege sceptrucho ad ruricolam usqve sparigerum depingat; & ut omnia simul

(1) Patriotiske Tilskuer 3die Aargang 216 Blad S. 105 seqq. 111, 113.

(2) Ibid & Esprit des Loix Livr. 14 Chap. 2. Livr. 17. Chap. 5.

ſimul comprehendam, *qvo nihil in tota antiqvitate magis momentoſum exſtat* (3). Si is qvem deſcripſi liber originem præterea debeat ætati omnium rudiſſimæ (4), omne feret punctum, & talis legenti oborietur inſperata lætitia, qvalis naufrago unam vel alteram tabulam in littore reperienti vel colono hædum lupo eripienti (5). Hic ipſe liber eſt SPECULUM REGALE (6) qvi propediem prodibit cura Virorum Eruditiſſimorum & ab orbe litterato magnis dudum & promeritis laudibus ornatorum. Cumqve nonnulla hiſtoriam hujus libri ſpectantia mihi obviam facta ſint, nihil hac materia dignius mihi viſum, qvod pro ſtipendio, qvo fruor, tractetur; ita leges ſimul obſervo Fundatoris, & *Societati Inviſibili* addictum, ac debeo, animum oſtendo.

§. 2.

---

(3) Ita ſolidiſſime judicavit immortalis SNEDORF, præpropere defunctus meusqne deſideratiſſimus Patronus. Patriotiſke Tilſkuer l. cit. p. 118.

(4) Patriotiſk Tilſk. ibid. S. 108. *Leibnitii* Præf. ad *Script. Brunſviceuſ.* & diſertiſſime Boſſuet Einleitung in die Geſchichte ꝛc. von Cramer 3 Th. S. 211. ſeqq. Edit 2. Nec admodum multo poſt Canonici Lincopienſes ſe confitebantur *idiotas & puſiones, & omnia ſeptentrionis Capitula minimo aliorum clericorum non æqvales in ſcientia.* citante *Dalin Hiſt. Svec.* Tom. 2. cap. 15. §. 17.

(5) *Hor. Epod.* 2.

(6) Encomia *Speculi Regalis* plura ſunt, qvæ colligere non eſt hujus loci, nec eorum multitudo hic maximi æſtimanda foret, ubi nomina *Torfæi*, *Grammii*, *Rami*, *Snedorfii*, cæterorum elucent. Utinam hic nominare poſſem *Arngrimum Jonæ Widalinum*, qvod & poſſum, nam reprehenſionem in *Commentario de Islandia* fol. 16. 17. 45. a malæ notæ exemplari ſeducto factam, poſtea in *Specimine de Islandia* mutavit,

§. 2.

Speculum Regale est liber ſcriptus a Miniſtro qvodam Regio primi ordinis in Norvegia (7), velut inſtructio vitæ nobilium, in uſum unici ſui filii. Prologus qvatuor partes promittit, de qvatuor vitæ generibus, *Mercatorum*, *Aulæ*, *Cleri* & *Ruricolarum*, qvarum duæ tantum priores ſuperſunt (8), reliqvæ ſi unquam conſcriptæ, intercidere. Prima pars continet mores & prudentiam mercatorum, eorumqve reqviſita, Aſtronomiam roſa nautica nondum inventa neceſſariam, deſcriptionem ventorum (9) & tempeſtatum ſtylo gentium orientalium more admodum ſublimi (10); deſcriptionem Hiberniæ, Islandiæ & Grönlandiæ

A 2

(7) Minus igitur recte tribuitur Sverreri aut alii Norvegiæ Regi. *Wormii Epiſt.* Tom. I. p. 199. *Torfæi Grønland Antiqv.* p. 31. *Arngrimi Specim. Hiſtoric. Island.* p. 111. nec forſan rectius Sophis tribuitur in *Commentar. de Island* fol. 17.

(8) Contrarium ſtatuit Pontoppidan Norges Naturlige Hiſtorie 1 Deel. Fortal. Et poſtea 2 Deel Fortal. unicum tantum exſcriptum exiſtere arbitratus eſt, cum tamen Bibliotheca Magnæana plus qvam viginti codicum fragmenta exhibeat.

(9) Conf. Amici & Fautoris æſtumatiſſimi *Erici Tractat. de Peregrinat Septentr.* p. 33.

(10) Scio plerosqve fore quibus hoc dicendi genus non placebit, utpote Allegoriis, Proſopopoeia & Metaphoris repletum. Sed nec hæ deſcriptiones admodum prolixæ ſunt, nec in toto opere præter tres *ſerenitatis*, *tempeſtatum* & *ſapientiæ* occurunt. Qvid ? qvod perſpicaciſſimus Dn. Batteux Proſopoeiam *ſplendidiſſimum* vocat *eloqventiæ ornamentum*. Et qvis qvæſo ignorat artificia Platonis, Addiſonii, plurium in Allegoriis? De tempe-

landiæ mirabilium, cui præmittitur apologia libri cujusdam de mirabilibus Indiæ (11), cum iis æqve mirabilia Norvegiæ comparando, curſum ſc: per xyloſoleas (12), vim petrificam paludis Biarkadalenſis (13), & noctes diesqve

tempeſtatibus etiam in Speculo Regali ideæ dantur, qvas ex communi cum illo naturæ fonte hauſerunt Homerus, Virgilius, Ovidius & Milton. Qvamvis è contrario non ſit diſſimulandum, numerum in his deſcriptionibus, luxuriare & mucronem Senecæ pugnatorium ac concervationem conſonantium ſæpius occurrere, interdum tamen per combinationem vocum mitigari.

(11) Non eſt qvod miremur Antiqvos dromedarios aut ſimile quid pro draconibus venditaſſe, ſi recentiores draconem pro puero ſumſere. *Dalin Hiſt Svec.* Tom. 2 Præf. Interim multa ad artem criticam phænomenorum naturæ ex more ſuo elegantiſſima adfert *Grammius Act. Soc. Reg. Scient. Havn.* Tom. 3. p. 376 ſq. 381. Sed ut ad dracones redeam, *Cteſias* Medicus Artaxerxis Mnemonis, de illis ex autopſia refert, qvem *Nonnoſus*, *Ælianus*, *Plinius*, *Solinus*, cæteri, bona fide exſcripſerunt. *Photii Bibliotb.* No. 3. 72. *Fabricii Bibliotb. Græca* Libr. 2. c. 25. §. 16. Qvos *Cteſias Gryphes* appellat, *Agatarchidi* ſunt *ſerpentes*, *Feſtivo ſtruthiones*, Recentioribus *dracones*.

(12) ita vocem Skide Celeb. *Torfæus* latine reddit, alias autem illi venit: *ſoleæ ligneæ*, *trabs panda*, *vehiculum trabium*, *trabale pedum vehiculum*, *ſubjectæ plantis tabulæ*, *aſſeres pandi*, *curvæ ſoleæ*, *trabes ligneæ ſoleis ſubditæ* pp. Tanta ſe offert difficultas etiam in notiſſimis vocabulis latine reddendis. Cæterum conf. Pontoppid. Norg. Nat. Hiſt. Tom. 1. p. 47. Tom. 2. p. 438.

(13) in dubium vocat *Pontoppidan* l. cit. Tom 1. p. 142 ubi hunc librum minus recte *Speculum morale* appellat.

qve plures ſimul continuas (14). Hiberniæ deſcriptio maximam partem fabuloſa eſt, de felicitate cæli & ſoli (15), de terræ ſanctitate tam qvod ad immunitatem ab animalibus venenoſis (16), qvam multitudinem Sanctorum indigenarum (17), de lacu vi petrifica gaudente (18), de fonti-

appellat. Incomparabilis autem *Ström* plane negat in Søndmørs Beſkrivelſe Tom. 2. p. 365. Uterqve amyanthum ſubſtituunt.

(14) conf. *Adam. Bremenſ. de Situ Dan.* cap. 105 al. 246. *Corneri Chron.* in *Eccardi Hiſt. med. ævi* p. 472 Qvam parum cognovere perſpicaciſſimos Norvegos?

(15) conf. *Solinum*, *Bedam* & omnes fere hujus exſcriptores Hiſtoricos antiqvos Angliæ.

(16) Vix datur terra ubi de qvoqvam territorio tale paradoxon non narretur. De Hibernia omnes ſcriptores veteres conſentiunt vid. not. præced.

(17) Ignorantia & ejus fætus Superſtitio numerum Sanctorum admodum augent, in terra præſertim, cujus mores Hiberniæ inſtar a *Camdeno* in *Britannia* paſſim deſcribuntur, ad hunc etiam numerum diminuendum *Launoius* vix reqvireretur alter.

(18) Hoc naturæ phænomenon haud ita pridem ſcrutatorem nactum eſt Dn. *Jac. Simonem* in *Philoſophical Tranſaction's* No. 38. Art. 8. 1746 ſq. conf. *Giraldi Silveſtr. Topograph. Hibern.* p. 718. in Collect. Script. Anglic. Camdeni. *Ranulphi Highdeni Polychronic.* p. 184. in Collect. Script. Britann. Th. Gale's. Author *Chronici Bromtono* attributi in Collect. Script. Veter. Angl. Seldeni ſ. Twyſden col. 1078 qvi etiam alium locum petrificum annotat.

fontibus albo & nigro colore tingentibus (19), de inſula ſanante periodica, de inſula in qva nemo putreſcit (20), de inſula viventium (21), de Purgatorio S. Patricii (22), de homine ſylveſtri jubato (23), de coemeterio qvod fœminæ non

(19) Priorem in Momonia, poſteriorem in Ultonia ſtatuit *Silveſt. Girald.* loc. cit. Libr. 2. cap. 7. Ejusqve fidi exſcriptores, *Highdenus* loc. cit. p. 183. & *Bromton* col. 1077. Fæminarum & virorum ſeneſcentium ad fontem nigrificantem freqventiam jocoſe ſatis notat *Giraldus*. Qvi de fontibus mirabilibus Hiberniæ primus ſcripſit, ſine dubio fuit *S. Ruadanus*, mortuus Ao. 584. niſi liber ejus intercidiſſet, harum fabularum originem forte habuiſſemus.

(20) Hæc a ſcriptoribus domeſticis appellatur *Arren* ſive inſula S. Brendani. vid. *Girald.* l. cit. cap. 6. *Bromt.* l. c. *Highden Polychron* loc. all. p. 183. Hic tamen aliam inſulam S. Brendani in Ultonia præterea agnoſcit p. 179.

(21) *Girald.* p. 716. *Bromt.* c. 1076. *Highden.* p. 179 ll. citt.

(22) conf. omnes antea allegatos Scriptores maxime autem *Camdeni Britann.* p. 771. ubi cryptam incolis *Ellan u frugadory* ab Ulyſſe effoſſam ait. Idem qvoqve commemorat Purgatorium S. Brendani ab hoc diverſum. *Plutarchus* etiam ex relatione cujusdam Demetrii Inſulas tales agnoſcit, hinc ſuperſtitio poſterior, priorem, non raro admodum exemplo, excepiſſe & interpolaſſe videtur.

(23) An mulier jubata *Giraldi?* Dicitur hæc inventa S culo ineunte duodecimo, tempus igitur non repugnat. conf. *Girald. Topograph. Hiberniæ* p. 724 & *Ejusd. de Expugnat. Hibern.* Prolog. prior. p. 755 & Libr. 1. cap. 11. p. 766. in Collect. Camdeni.

non intrant (24), de pomis S. Kewini (25), de arce Themere funditus inverſa (26), de hominibus in lupos transformatis (27) & barritui militari non reſpondentibus (28), & de anchora ex aëre delapſa, cui demum additur hiſtoria ridicula de Klepſane ridiculo. Hæc ideo prolixius recenſui, ut Authorem fictionis ſpontaneæ macula liberarem, recenſendo Authores ſimilia referentes, nec tamen hujus, qvantum videre datur, fontes. Ipſe noſter relationes fide

(24) *Giraldi Topograph. Hibern:* Libr. 2. cap. 4. *Highdeni Polychron.* p. 179. *Bromton. Chron.* col. 1076. Molendinum ſimilis indolis memoratur *Giraldo* l. c. cap. 52. Videat igitur *Simon Dunelmenſis*, qvo jure ſolius S. Chudberti eccleſiis hunc in ſexum ſeqviorem rigorem attribuat. *De ortu Lindesfarnenſis Eccleſiæ* Libr. 2. cap. 7.

(25) *Girald.* l. c. p. 726. *Highden.* p. 183. *Bromton.* l. cit. col. 1077.

(26) Prolixe rem narrat *Fordun Hiſtor. Scotorum* Libr. 1. cap. 27. p. 580. Collect. Thom. Gale's. *Legenda S. Congalli* rem ad tempora Regis Judæorum Manaſſis refert.

(27) Vulgare eſt veterum commentum in qvaqve fere terra; Originem forte debet ludis perſonatis circa natalitia Chriſti ab innumeris temporibus celebratis, contra qvos ſeculo qvarto *Pacianus Barcilonenſis Cervum* ſcripſit, qvi jam intercidit teſte *Fabricio* in *Biblioth. Latin. medii ævi.* h. voc. Luporum Hibernicorum originem neſciebat *Ranulphus Highdenus Polychron.* p. 184. ſupplendam ex *Speculo Regali.* & ad S. Patricium referendam, qvamvis an ille aliqvando exſtiterit, dubitavit *Henricus Mauricius. Act. Erudit. Lipſ.* Ao. 1692. p. 396.

(28) Ridicula iſta traditio viguit adhuc tempore Camdeni conf. *Ejusd. Brittann.* p. 737.

dignas allegat, & si *Giraldo* fides, nullum scriptum seculo duodecimo exstitit, qvod his usibus inserviret, (29) cui verisimilitudinem conciliant recentiores Historici medii ævi Britannorum, qvi, qvod ad Hiberniam, *Bedæ* & *Giraldi* vestigia fideliter legerunt. Hinc etiam colligi potest, in qvantum Antiqvitatibus Hibernicis lux speranda sit è Dania (30). Descriptio Islandiæ agit de cetis (31), de loco inferni ibi reperiundo (32), & de qvibusdam ad historiam naturalem pertinentibus (33). Mirabilia Grönlandiæ se extendunt ad monstra marina (34), glaciem, genera

(29) *Nullam prorsus*, inquit, *ex scriptis Hibernicis evidentiam, nullum penitus inveni (præter ipsam disqvisitionis diligentiam) extrinseci juvaminis adminiculum.* vid. *Topograph. Hibern.* p. 693. coll. p. 698.

(30) Qvam speravit Jesuita *Æganus. Worm. Epist.* Tom. 2 p. 993 coll. p. 1007. Nec absurdum hinc sperasse, si Hibernia octies Danis subjecta fuisset; ut vult *Coldingius Nov. Descript. Dan.* De Norvegia vid. infra not. 54. De raritate antiquitatum Hibernicarum conf. *Philalethi* Tronhiemske Samlinger 3 Deel p. 315.

(31) vid. *Torfæi Grönland. Antiq.* Hanc qvoqve materiam exorsus est amicissimus, S. R. M. Judex Territorii Thingöensis *Wigfusus Jonæus De piscatura occasione Speculi Regalis.* Havniæ 1762.

(32) Huic sententiæ a multis postea repetitæ occasionem dedit *Gregorii Magni Dialog.* Lib. 4. cap. 35. col. 333. Edit. Paris. 1640. fol. Qvanta Gregorio fides, optime judicarunt *Du-Pin & Oudinus de Script. Eccl.* T. 1. col. 1500.

(33) Allegatis in *Olavii Enarrat. historica de Islandiæ natura & constit.* p. 110 sq. 115. 122.

(34) Credulitatem nostri excusat recentiorum assensus, *Torfæi Hist. Norveg.* Part. 4. p. 416. *Wormii Epist.* Tom. 2. p. 842. **Pontoppidan** Norges Naturlige Histor. passim.

nera phocarum, commercia & victum gentis, qvæstionem an Grönlandia sit terra continens, ejusqve historiam naturalem, constitutionem aëris, clima, lumen boreale (35), Zonas mundi, reliqva.

§. 3.

Pars Speculi Regalis secunda iterum bipartita est, agens de *Aulicis* & *Rege* ipso. Utraqve pars moralis & practica est, qvarum illa agit, de causa defectuum regiminis & Aulæ (36), de discrimine dignitatum & officiorum in Aula, de motivis & via ad illa capescenda (37), de Aulicis purpuratis eorumqve moribus, de salutatione Regis qvotidiana, cum ceremoniis tam intra qvam extra palatium, de armis palæstricis & bellicis, iisqve tam eqvitum, qvam peditum, tam in acie, qvam in munimentis defendendis & oppug-

(35) Omnium instar conf. *Rami* Afhandling om Nordlyset. Kiøbenhavnske Selsk. Skr. 1 Deel p. 375. & Patroni mei admodum colendi *Jessen-Schardeböll* Kongeriget Norge 1 Deel p. 375.-469.

(36) Stultitia sc. & inde progignendis vitiis, tandemqve anarchia. Heic occurrunt imprimis pulchra comparatio inter mores corruptos cujusvis regni & annonæ caritatem, causæ interitus regnorum ex eorundem divisione tunc usitata ac vitiis serpentibus, deducendæ. Mirum sane Virum Norvegum scripsisse contra sui Seculi principia, tam libere tamqve solide, ut ejus ætatis Montesqvieu aut major forte fuerit. Sed historiæ Norvagicæ antiqvæ ignaro tantummodo mirandum.

(37) Hic tractatus de verbis coram Rege, imo de vestitu qvoqve, ejus colore & barba prolixe præcipit.

oppugnandis, tam terra qvam mari; Finem imponit huic institutioni præcepta suo in genere prorsus egregia, de scientia politiore, virtute & decoro (38). Hujus partis sectio posterior agit de Rege ipso, & qvidem de Ejus præ cæteris præeminentia & potestate absoluta; *officiis* Ejus *matutinis*, cura scilicet & meditatione de temperanda justitia cum clementia (39), ac precibus publice celebrandis; *officiis diurnis* scilicet de jure subditis dicendo (40), sapientia addiscenda & jugiter perpensanda (41). Adferuntur postea motiva clementiæ & justitiæ conciliandarum, judici probe observanda, nec non casus qvidam ubi homicidium non solum excusabile, sed & bonum opus censen-

(38) Hic etiam occurrunt hominum novorum & ad altiorem dignitatis gradum evectorum officia, qvæ illustrantur exemplis Josephi Patriarchæ, Estheris, Vasti, Amanis, Mardochæi, Constantini Magni, Helenæ Augustæ, Cratonis & Zenophili.

(39) Hæc prolixe illustrantur multis S. Scripturæ exemplis, qvæ omnia vindicantur ab objectionibus, & in qvovis adferuntur circumstantiæ, qvæ Veritatis, Pacis, Justitiæ & Clementiæ vinculum indissolutum indicant. Prosopopoeia imprimis de lapsu Adami & Diaboli occurrit, qvæ Miltonis artificia qvandoqve exprimit. Et qvid si etiam Dn. *Voltaire*, lapsum Adami ejusqve statum irridens, hic plus qvam carminis vicani materiam invenerit? Probat etiam noster in historia sacra conseqventias sive fictiones poëticas esse licitas, qvas velut ramos arboris qvaqvaversus divergentes laudat.

(40) Exemplis tam ex Scriptura S. qvam Historia, fabulosa qvamvis, petitis hæc illustrat.

(41) Ubi descriptio Sapientiæ & exempla injustitiæ punitæ occurrunt. conf. not. 10.



censendum est (42). Et deniqve disqvirit, an juramenta & pacta illicita, itemqve jus asyli Templorum semper sint servanda (43), qvod occasionem Authori præbet limites determinandi inter brachia sic dicta seculare & spirituale, simulqve ad partem tertiam de Clero, transeundi.

§. 4.

Non est qvod multa de titulo *Speculi Regalis* adferam, indicare tamen videtur, Authorem sui Seculi scripta legisse, non minus qvam *Gregorii Magni* & *Isidori Hispaliensis* qvos expresse allegat, nam præter *Speculum Locorum biblicorum Theodulphi* (qvi initio Seculi noni vixit) S. Augustino falso adjudicatum, qvod primum mihi sub hoc titulo occurrit, Seculo deinde duodecimo & duobus proxime seqventibus, titulus iste in tantam consvetudinem abiit, ut plus qvam septuaginta libri illo, tanqvam huic ætati proprio, insignirentur. Nec Speculum appellasse satis erat, nisi libri etiam *Specula Speculationum* (44), Scriptores qvoqve & Viri singularis exempli *Speculatores* appellarentur (45). Nec multo pauciores

(42) Probatur tota fere vita & charactere Morali Regum Saulis, Davidis, Salomonis & Herodis.

(43) Qvod præjudicia seculi & religionis Authoris excedit.

(44) *Alexandri Neckham* qvi vixit Anno 1215. *Fabricii Biblioth. Latin. med. ævi* hac voce.

(45) Qvid *Speculum* præter communem significatum apud Scriptores medii ævi denotet, diserte docet *Notger. Balbulus de Illustribus Viris* ita: "Gregorii Papæ "Regula pastoralis omnium sapientium judicio melius "& verius Speculum dici potuisset — ut affectus *qvasi*



pauciores de *institutione regia* his temporibus scripsere; ut alios taceam, ante Typographiam inventam viginti circiter Scriptores libros suos rubrica notarunt *de Regimine Principum*, sed etiam nec defuere qvi *Specula Regum* scripsere. *Alvarus Pelagius* "Ordinis Minorum gloria" *Oudino* appellatus, *Speculum Regum* scripsit *Nicolao Antonio* memoratum (46). Huc etiam pertinent *Britonis Aremorici Speculum boni Principis* (47), *Godfridi Viterbiensis Speculum Regum* (48), *Philippini de Pergamo Speculum Regiminis* (49), *Roberti Gervasii Speculum morale Regum* (50),

Kunun-

"*qvasi viventes & ambulantes ostenderit.*" Similiter noster: sva sæm margar liknæskior ædhr allzkynnz smidharr sæm i skyrri skuggsio. ɔ: *velut in speculo pellucido, tanquam multas statuas sive quæcunque affabre expressa.* Non est qvod hic de notissimis de Repkow & Durando, *Speculatoribus* appellatis, prolixe agam, nec huc pertinebit *Speculator* pro *Carnifice* apud *du Fresne* in *Glossario* memoratus, adferam tantum *Matthæum Vindociensem* in sua *Tobiade* de Bartholino Turonensi dicentem: ——— Ovium *Speculator* Ut *Speculum* ———

(46) In *Biblioth. veter. Hispanica* Tom. 2. p. 100. mortuus est 1353. conf. *Oudinum de Scriptoribus Eccles.* Tom. 3. col. 899. Notabile est, Alvarum iisdem ac nostrum verbis incipere.

(47) Vixit ineunte Seculo 13 teste *Fabricio Bibliothec. Latin. mediæ ætatis* hac voce.

(48) Opus genealogicum. Ille obiit 1152.

(49) Refertur ad Annum 1380 prolixus hicce in Catonis Ethicam Commentator.

(50) Obiit 1396 teste *Fabricio* loc. cit. hac voce.

Kununga oc Hofdinga Styrilse (51), & tandem *Humajun Nameh* sive *Speculum Principum*, liber ante bis mille annos scriptus, & in omnes fere lingvas sub diversis titulis translatus (52) fabulas Æsopicas continens. Hi ex antiqvis sunt, qvi eodem ac noster titulo sua scripta insigniverunt, qvorum qvotqvot mihi cognovisse datum, illo inferiores censendi sunt, neqvaqvam autem illi materiam exscribendam suppeditarunt, utpote maximam partem diversum scopum intendentes.

§. 5.

Qvænam igitur est ætas Speculi Regalis? Certum est illud scriptum esse post Annum 1140 nam Emanuelis Imperatoris Græcorum ibi fit mentio, nec me sciente qvisqvam ad antiqviora tempora illud retulit. Si historiam Norvegicam coævam consulamus, tunc circa hoc tempus peregrinationes Procerum ad terras orientales freqventis-

(51) Nescio qvo jure hic Thomæ Aqvinatis s. rectius Ægidii de Columna affecla idem cum Thorkillo de Lena ad Sec. 13. a *Dalino Histor. Svec.* Tom 2. cap. 8. §. 29. referatur. Nec recte hæc sententia a me attributa est Editoribus in *Curis Posterior. Continuat. ad Jus Eccl. Vicens.* p. 9. not. u, de Ægidio Romano intelligenda.

(52) De hoc prolixe agit *Fabricius Biblioth. Græc.* Tom. 6. p. 460. cui adde versionem Danicam sub titulo: De gamle Vises Exempler oc Hofsprock rc. Kiøbenhavn prentet hos C. H. Neuhof 1618. de voce *Speculum* conf. hujus versionis Præfat.



qventissime usu venerunt (53). Hinc epocham Speculi Regalis non longe dissitam autumaverim, cum præsertim Hibernica (54), arma (55), toga (56), silentium de Archiepi-

(53) Libri de mirabilibus Indiæ, Emanueli Imperatori dicati, & jam pridem ad Norvegos delati, meminit Speculum Regale. Sub hoc Imperatore stipendia meruere præter multos alios Ericus frater Regis Sverreris, vid. Konunga Sogur *in vita Sverreris* cap. 499. & Eindridius Ungi, de qvo ita *Torfæus Histor. Norveg.* Tom. 3. Ad Annum 1149. "Eadem æstate Constantinopoli rediit vir juvenis, nobilitate & experientia "celeberrimus, Eindridius Ungi sive *Juvenis*, qvi Græcorum Imperatori Emanueli sive Manueli Comneno "longo tempore stipendiis meruit. Hunc multa de "Imperatoris magnificentia, splendore, militum numero, ordinibus & apparatu, imperii magnitudine, diffusissimarum regionum præfectis, legibus & populorum moribus, ærarii inexhausto thesauro, ejusqve immensis reditibus, terrarum indole, proventibus & id "genus aliis narrantem, Rex Proceresqve libenter audiebant." Isqve effecit ut gloriosa Norvegorum expeditio subseqveretur, cui Comites Rogvalldus & Erlingius Skakki interfuerunt. Tales erant Norvegorum peregrinationes! Eindridius ille Anno 1162. cum caderet Rex Hacon Humerosus, primarius ejus Minister fuit, biennio post a factione Erlingiana occisus. *Torfæi Histor. Norvegic.* ibid. pag. 563. præterea conf. *Erici* de *Peregrinat. Septentrional.* p. 80.

(54) Seculo duodecimo Norvegia qvam maximum cum Hibernia nexum habuit. Tum hæc a Rege Magno Nudipede armis tentata, speciem juris Ejus filio Sigurdo Hierosolymipetæ præbuit, tributum per Legatum imperandi. *Torfæi Histor. Norveg.* Tom. 3. p. 461. Paulo post Haraldus Gilli-Christus in Hibernia natus & edu-

chiepiſopo (57) & coronatione (58), recepta de Geographia

& educatus, ad ſceptrum & thronum Norvegiæ pervenit ibid. p. 481. Seculo ſeqventi imminutum fuiſſe hoc commercium concludo, tam ex *Chronico Manniæ* a Camdeno edito, qvam ex diminutione fidei Sanctitati Hibernicæ antehac a Norvegis habitæ. *Torfæi Hiſtor. Norveg.* Tom. 4. p. 120. ubi dicit ad Annum 1213: *S. Columbi Inſula in hunc uſqve diem ab injuriis omnibus Norvegorum intacta, religioneqve ſacra habita, ſpoliatur.*

(55) Qvanta Norvegis armorum cura hac ætate fuerit, documento eſt, victoribus ceſſiſſe trecentas ſexaginta loricas annulares, totidemqve ocreas militares, in prælio ubi non ultra nonaginta hominum cecidere. *Torfæi Hiſtor. Norveg.* Tom. 4. p. 100. Deſcribuntur qvoqve Norvegi tanqvam *viri bellicoſi, Danico more undique ferro veſtiti, alii loricis longis, alii laminis ferreis arte conjutis, clypeis qvoqve rotundis & rubris circulariter ferro munitis.* a *Silveſt. Giraldo de Expugnatione Hiberń.* Libr. 1. cap. 21. p. 772. in Collect. Script. Anglic. Camdeni. conf. etiam *Dalin Hiſtor. Suecic.* Tom. 1. cap. 6-8.

(56) Ritus togam coram Principibus deponendi memoratur in vita Sigurdi Hieroſolymipetæ apud *Torfæum Hiſtor. Norveg.* Tom. 3. p. 467. in vita Sverreris ibid. Tom. 4. p. 35 & 44. & in vita Haconis Grandævi ibid. p. 200. tanqvam antiquitus uſitatus.

(57) Archiepiſcopus primus Norvegiæ ſedit ab Anno 1152 & ejus ſucceſſor magnam habuit Authoritatem decennio poſt vid. infra not. 60. & Schiønning Forſøg til Forbedring &c. om Eyſtein.

(58) Qvanti momenti habita fuerit coronatio Regum Norvegiæ, ipſe referat Rex Hacon Grandævus de coronatione



graphia (59) & qvod maximi eſt momenti, de limitibus poteſtatis Regiæ & Archiepiſcopalis ſententia (60), ut & de

---

tione filii ſui Regis Magni apud *Torfæum Hiſt. Norveg.* Tom. 4. Libr. 4. cap 45. ita: *illuxit jam ille dies, qui mihi exoptatiſſimus accidit, cum carnem & ſangvinem meum, tanto in honoris faſtigio conſpiciam;* cum tamen duos filios antea Reges viderat. Qvæ Erlingus Skakki de coronatione Filii ſui Regis Magni egit, notiora ſunt qvam qvæ repetantur. vid. Schiønning Forſøg til Forbedring &c. p. 421. ſqq *Torfæi Hiſt. Norveg.* Tom. 3. p. 566. de coronatione Sverreris. ibid. Part. 4. p. 21. Haconis Grandævi. ibid. p. 247. conf. etiam *Guiljelm. Neubrigenſ. Rerum Anglicar.* Libr. 3. cap. 6. p. 420. in Collectione Comelini.

(59) Tempore Sigurdi Regis Hierofolymipetæ *Vogæ* & *Andarnes* ad ultimum Septentrionem notum referebantur. conf. contentio decantata inter Reges fratres apud *Torfæum* l. c. Tom. 3. p. 472 *Adam. Bremenſ. de ſitu Daniæ* Cap. 104. *Corneri Chronic.* in Eccardi Hiſtoric. med. ævii p. 471. Danſke Magazin 51 Hefte p. 96.

(60) Aut ego fallor, aut abſoluta in Clerum poteſtas, qvalis in Speculo Regali ſtatuitur, nulli poſt Sverrerem Regem competit, imo nec certis Regibus ejus Anteceſſoribus. De ſubjectione Magni Erlingii, qvi ſe plus una vice Vaſallum S. Olai Nidroſienſis profitebatur, ſive revera Archiepiſcopi *poſſeſſioni hæreditariæ ſe aſſignans, ſub ejus Dominio, tanqvam ſuus vicarius & regnum ab eo tenens.* Schiønning Førſøg in vita Auguſtini p. 429. Tempore Sverreris in Articulum fidei evecta erat extenſio jurium Cleri, qvod cum Rex non approbaret, heterodoxiæ, tyrannidis, aut ſi quid pejus, notam incucurrit. *Guiljelm. Neubrigenſ.* loc. c. *Torfæi Hiſtor. Norveg.* Tom. 4. p. 13. Schiønning loc. cit. p. 448. Hacon Grandævus, Rex alias ſui juris vindex accerri-

de vi excommunicationis (61), nec non status litterarum & eruditionis in septentrione florentissimus (62), ac status regni civilis (63) huic sententiæ favere videantur. Nec seculo decimo tertio recentior erit noster, nisi interpolatio assumatur (64), si consideretur illum qvævis officia aulica

B recen-

acerrimus publice professus est, *se agnoscere Archiepiscopum, a Deo hominibusqve constitutum esse ad judicia inter homines edicenda.* Et revera Hacon jamdudum Rex, sententia Archiepiscopi stetit, regnum vel retenturus vel amissurus Anno 1223. *Torfæi Histor. Norvegic.* Tom 4. p. 159 sive 157 & 162. Neqvid præterea dicam de Pacificatione inter Regem Magnum Lagabæter & Jonam Archiepiscopum de Anno 1273: Bergis in Festo S. Petri ad vincula, utpote notissima.

(61) Excommunicatio inde a temporibus Sverreris etiam castella munitissima superavit. *Torfæi Histor. Norvegic.* Part. 4. p. 21. 44. cum tamen noster fulmen qvandoqve brutum esse agnoscat.

(62) Seculo duodecimo & seqventi litteras aliunde relegatas exceperat septentrio vid. supra not 4. & *Grammii de origine & statu Rei litterariæ in Dania*, in Dänische Biblioth. 7 Stück p. 445. 458. 468. & Sverreris laudes ibid. p. 472. Erichsen Tale paa Sorøe Academ. Stiftelſ. Dag 1762. p. 38. *Ejusd. de Peregrinatione septentrional.* p. 86.

(63) Conf. not. 60. 66. 67. qvæ omnia seculo duodecimo apprime conveniunt.

(64) Et hoc necessarium, si in illo *vestigia seriorum temporum aliqvando eluceant* teste magno *Grammio* loc. cit. p. 500. Consentiente nec minoris Nominis & meritorum Viro, meoqve Patrono æternum colendo *LUXDORPHIO*. citante Pontoppidan Norges Naturlige Histor. Tom. 2. Præf. & p. 302.



recenſere promiſiſſe (65), moderamen vindictæ inſtar obligationis imperfectæ laudare (66), diviſionem imperii & diverſas de jure ſucceſſionis ſententias tanqvam ſui temporis mala increpare (67), & qvod ad characterem moralem & ceremonias perplures, antiqvius tempus aperte monſtrare (68); qvæ ætatem ejus a medio Seculi duodecimi ad medium Seculi ſeqventis referendam evincunt, & qvidem probabiliter ad hujus temporis partem priorem, & ſi audacius conjectem, ad proximum ante annum 1164 decennium referendum putarem. (69).

§. 6.

(65) Probat hoc totum fere *jus Aulicum* Hird-ſkraa & plurima vitæ Haconis Grandævi loca apud *Torfæum Hiſtor. Norveg.* Part. 4.

(66) Cum tamen Rex Hacon Grandævus vindictam hanc in propinqvos homicidæ, lege prohibuerit, & filius ejus Rex Magnus Anno 1269. etiam mulctam pecuniariam abrogaverit. *Torfæus* loc. cit. p. 302. 348.

(67) Hic etiam abuſus tempore Haconis Grandævi Anno 1223. publice damnatus, & lex ipſa qvæ illum abrogavit *Juri Aulico* 1277 lato inſerta invenitur.

(68) Conf. *Jus Aulicum* Hirdſkraa qvavis fere pagina. Ut unicum tantum adferam exemplum, *Speculum Regale* aulicæ cujusdem dignitatis candidato conſulit Regem prandentem adire, qvod *Jus Aulicum* expreſſis verbis prohibet.

(69) Conf. not. 53. 57. 58. 60 61. qvæ bene perpenſatæ hoc probabile reddent, in hiſtoria prælii navalis inter Betulopedes & Baglos Anno 1180 & coronationis Magni Erlingii Anno 1164 occurrunt qvædam mea ex ſententia *Speculo Regali* recentiora. Non eſt qvod adferam exemplaria qvædam Bibliothecæ Magnæanæ qvæ Epiſcopatum in Grönlandia *pridem* inſtitutum commemorant, cum optima de hoc taceant.

§. 6.

An vero Authorem Speculi Regalis qværam, & primus dum nec ætas certa fuit conjecturis scruter? Scio qvantilli pretii tales sint conjecturæ (70), qvantæqve difficultatis in ætate remota, & ubi Author ipse se occultare voluit (71). Forsan & qvædam inseruit, qvæ hanc difficultatem augerent; allatus tamen a me locus (72) de Eindridio Unga probabile reddet illum Authorem

(70) Vid. supra not. 64. Incerti de illa fuere Viri magni *Arngrimus Jonæ* in *Specimine Histor. de Islandia* p. 111. & in *Commentar. de Island.* fol. 16. Ramus in Afhandling om Nordlyset. Kiøbenhavnske Selsk. Skrift. 1 Deel p. 372. *Petrus Claudii Undalinus* in *Descriptione Norveg.* p. 171. *Torfæus* in *Grönlandia antiqva* pag. 31. qvid qvod incomparabilis hicce Vir qvæ physica inde exscripsit, fide Undalini fecisse videtur, & ipsum librum *Speculum Regale Islandicum* minus accurate appellat. *Petrus* etiam *Claudii Undalinus* qvi juxta Arngrimum primus Speculum Regale notum fecit, illud appellat *Chronicon Norvegicum* loc. cit. qvod *Peyrerius* præeunte suo interprete Retzio secutus in *Voyages au Nord* Tom. 1. p. 126. huncqve iterum *Mairau* in *Traité physiqve & historiqve de l'aurore boreale* p. 85. ubi hicce liber rumoris indies mutandi instar illi devenit *une chroniqve Islandoise*. His adde *Bussæum in* Bangs Samlinger af nyttige og opbyggelige Materier 3 St. p. 531.

(71) Hinc etiam specialia Authorem ejusve coætaneos spectantia hic non sunt qværenda. Nec alio respectu notior fuit noster; nam per sex secula nec typis excusus, nec in notiores lingvas translatus fuit, qvamvis contrarium appareat ex *Wormii Epistol.* Tom. 1. p. 199.

(72) vid. supra not. 53.



horem fuisse, si in Halogia habitasset, (73) aut filium habuisset unicum. Utrumqve qvamvis taceat historia, possibile. Halogiæ sane familiarum nulla posteris Thoreri Hundi celebrior fuit (74). Ex hac Vidkunnus Jonæ filius, subditorum suo tempore summus, in Hibernia famam virtute comparavit, & circa hoc tempus obiisse videtur. Habitavit ille in prædio avito Biarkey, & illius posteri usqve ad conjunctionem regnorum septentrionalium extitere (75), ejusqve nepos Vidkunnus Erlingi filius, juvenis octodecennis satrapa Halogiæ factus, levir & sororius Regis esse meruit, nisi 1184 a Betulopedibus occisus fuisset (76). Concedo eqvidem de Patre ejus nihil in litteras relatum me vidisse, sed hæc communis fere sors est, aut modestiæ, aut factorum vere magnorum splendore tamen externo destitutorum, qvamvis tanti filii educatio sapientem educatorem loqvi mihi videatur. Sed conjecturarum satis cæteroqvin multarum numerum auxisse non expedit.

(73) Nec hoc necessarium erit, cum exemplo non careat veteres Norvegos aulam secutos in provinciis prædia habuisse. *Torfæi Histor. Norveg.* Tom. 3 p. 580. *Jessen - Schardebøll* Kongeriget Norge i Deel p. 426. sq.

(74) Conf. *Torfæi Histor. Norvegic.* Tom. 3. p. 229. 421. Ejus filius Sigurdus in prædio Aund habitavit.

(75) Mentio fit Erlingi Vidkunni filii Militis & Vicarii Regni Norvegiæ in *Constitutione Regis Magni* de Pervigil. Knuti Anno 1331. & in *Homagio Haconi septimo præstito* Varbergæ A. 1343. in *Litteris* qvoqve *salvi conductus Regis Magni* de Bergis 1325. qvarum originale transscriptum est penes harum rerum æstimatorem eruditissimum meiqve amicissimum Dn. *Trescow*. An autem hic Erlingus cum ejusdem nominis Cancellario Regni Norvegici Anno 1355. defuncto, idem sit, dispiciendum. conf. *Torfæi Histor. Norveg.* Tom. 4. p. 483.

(76) *Torfæi Histor. Norvegic.* Tom. 3. p. 625.

